

ausu & arbitrio sibi sumsit : postmodum verò ita invaluisse novimus, ut vix ulla in publicum prodi-
erit eius editio, quæ non novæ aliquid mutationis
secum attulerit ; Sic statuimus, neque Philippum,
neque cæteros facti hujus sui rationes justas habu-
isse, neque etiam hoc ipsorum fuisse muneri atq;
officij.

94. Quicquid enim non ab uno aliquo autore
profectum, sed à tota Ecclesia publici symboli loco
fuit constitutum, id profectò ab uno aut paucis
mutari nec potest nec debet. Siquidem quod o-
mnes aut plures tangit, ab omnibus etiam aut plu-
ribus tractari convenit. Fuisse verò hodieq; esse
Confessionem Augustanam publicum & commu-
ne totius Ecclesiæ Lutheranae Symbolum, ex ijs quæ
hactenus sunt dicta manifestè liquet.

95. Huc accedit, quod partim incommoda, quæ
inde subsecuta, partim verò variorum errorum in-
crustatio, factum hoc Philippi reddit prorsus inex-
cusabile.

96. Quos Ratisbonæ in Comitüs Anno 41. Pon- Hist. A. C.
tificij triumphos ob hanc Confessionis nostræ muta- pag. 358.
tionem instituerint? quomodo tripudiarint? quam
inconstantiam & levitatem nostris objecerint? hi-
storiæ testantur.

97. Quàm lata porta Calvinismo, hoc factò sit
aperta vel inde constat, quòd ab eo tempore palàm
Augustanae Confessionis socios se profiteri, eamq;
sibi cum Lutheranis orthodoxis communem esse ja-
ctitare haud erubuerunt.

C

Et/s